

Verbs, which the Abbot passes over in his Letter, and Concludes that the word *Germanes*, which the *Romans* gave the *Tentons*, shewed the great Friendship between them and the *Gauls* or *Celtes*, as *Strabo* well observes, were like Brothers.

#### IV. Illustrissimo Celeberrimoque Viro D. Godofredo Gulielmo Leibnitio, Hanoveræ.

Oxonix, Apr. 20. 1699.

*Illustrissime Vir,*

**T**U novis me continue cumulas beneficiis: Talia siquidem reputo tuas Literas. Quarum ego aliquot (te permittente) meis interferui; ut Gemmas & Ornamenta. Neque tibi erit dedecori, te ea dudum fuisse meditatam, quæ etiam nunc non forent contemnenda.

Ultimæ tuæ, 30 Martii datæ, serius huc accesserunt quam ut possent præcedentibus associari; quum totum illud opus absolverant Typographi; istiusque ego duo exemplaria tradideram Juveni *Menkenio* (*D. Menkenii* filio) quæ suscepit ille se Parenti suo transmissurum, indeque eorum alterum ad Te transferendum (quod factum iri spero) dicitque, jam esse in itinere; Idemque Juvenis ingenuus, qui apud nos egit aliquandiu, ad Patrem die crastino ait rediturus, est harum lator.

*Ludovicum Ferrarium*, *Bombellio* priorem, Aequationem Biquadraticam in duas Quadraticas distribuisse, ipso *Bombellio* id sponte agnoscente (& *Cardano* pariter comprobante,) ego te monente jam rescisco. Et quidem suspicor, me id olim apud *Bombellium* legisse; sed, cum illud jam ante multos annos factum fuerit, istius ego eram plane oblitus; tibi que gratias habeo quod

quod candide monueris. Quod de illo peculiarem scripserit dissertationem Cardanus, vel nesciebam vel oblitus eram.

De *Æquationibus Superiorum* graduum, exponentem habentium numerum compositum, ad inferiorem reducendis cujus exponens sit numerus incompositus proximè minor; ego plane juxta tecum sentio. Atque in hunc, credo, finem, Harriotus tot paradigmata subjecit *Æquationum Inferiorum*, ex quibus Superiores componi possent, atque in illas resolvi.

De differentiis *Infiniteimarum-infinitecimis* explicandis, non est ut sis porro sollicitus. Nam, ut tu mihi facilis concedis, *quod nihili quodvis multipulum sit adhuc nihil*; eadem ego facilitate tibi permitto, ut *Differentias infinitecimas, in infinitecimas ductas*, tu merito negligas; potestque id tuto fieri, modo caute, (quod ego vos fecisse, diserte dixeram.) Quippe, in quovis genere *Quantitatum, quæ differunt dato minus*, reputanda sunt *Æqualia*. Quo natus *Exhaustionum* doctrina tota, Veteribus pariter & Recentioribus necessaria. Methodo tua, cum tibi usui sit, quo utaris non repugno.

De *v-bb* seu *bv*-1, jam ante dixi (quantum mihi videtur) satis; neq; jam vacat rem eam penitus excutere.

Quod tu quereris, Remissius nunc tractari altiora studia; & Pauciores esse Naturæ observatores diligentes; quadantenus verum esse non diffiteor. • Sed mirandum non est, (ut res alias, sic) hominum Studia, suas habere vicissitudines. Præsenti seculo (quod jam ad finem vergit) Eruditionem, in omni rerum genere, insignes (& quidem insperatos) processus obtinuisse, certum est; in re Physica, Medica, Chymica, Anatomica, Botanica, Mathematica, Geometrica, Analytica, Astronomica, Geographica, Nautica, Mechanica, ipsaq; (quod minus lætor) Bellica. Et quidem longe majores quam per multa retro secula obtinuerat. Quippe quibus vix

aliud sibi proposuisse videntur homines, quam, ut intelligere videantur quæ ab Euclide, Aristotele, cæterisque; ex antiquis jam olim fuerint tradita; de progressu porro faciendo haud solliciti; quasi scientiarum metas posuerint illi, quas transcendere sit nefas. Cum vero aucti sint aliqui (& quidem pauci) ultra prospicere; facti sunt alii animi, late patentem campum ingredi. Et res novas aggredi, novus ardor, novus impetus impulit; nec infeliciter. Sed, postquam hæc desit esse res nova; hic novus ardor deterbruit. Mortui sunt ex sedulis indagatoribus non pauci alii morituri: Jvenes que non accendebat (ut antea rerum, Novitas.)

Sed et ipsa materia erat magna ex parte exhausta; ut non tam. Messis jam speranda sit quam Spicilegium. Equidem, jam fessis & fatigatis permittendum videatur, ut quadantenus quiescant, et que hinc factum (pro variabili naturæ hominum,) quod severiora studia negligantur Fieri; forte potest, (quod tamen ominari nollem) ut præsentis seculi diligentia succedat desidia sequentis.

Optas Tu (& quidem ego pariter) ut, sicut Gallorum Academica Scientiarum jam videatur restituta, sic Nostræ Societati Regiæ novus calor infunderetur. Atque hoc ipsum jam modo monui tuis verbis. Sed & ipsi (quod tibi non displicebit) reapse me monentem prævenerant; qui jam nuper sibi novas leges posuerunt, varias hujusmodi Inquisitiones viritim promovendi. Sed & inter Gallorum illam Academiam, nostramque Societatem, hoc interest Discriminis; Fruuntur illi sumptibus Regis, suisque; gaudent singulatim Salariis. Nostrum suis sumptibus agunt omnia.

Verum etiam, ubi obtinueris quod ego tibi nuper nisi Volumen meum Tertium; videbis, in *Flamstedii* ad me Epistola, non plane otiosos nostrates esse; ut qui, tum Fixarum loca plurima a se sedulo observata narrat;

tum

tum nobile exhibet Phænomenon, Parallaxeos Orbis Anni Telluris, ab ipso deprehensum, & continuis Annorum Octo observationibus inter se collatis stabilitum. Phænomenon per aliquot retro secula frustra quæsitum, & fere desparatum, nunc in Anglia primo detectum.

Literarum exemplar tuis inclusum, mittendum curavi (quod tu petis) ad D. Episcopum nuper *Asaphensem* nunc *Lichfeldi-Coventriensem*, mox futurum *Wigorniensem*, (seu *Worcestrensem*.)

Idq; mihi jam in mentem revocat Tractatum bene longum, cujusdam *Olai Rudbeck*, Succii; ante Annos (si fatis memini) quasi sexdecim (aut etiam plures) editum, (saltem sub id tempus a me conspectum;) quo deducere satagit, ex veterum Mythologia, res Historicas, quæ Fabulis hæc fecerint occasionem; et speciatim, ex *Homerica* narratione Itinerum *Ulyssis* (post captam *Trojam*), deducit eum (partim Navigio, partim Terrestri itineres, Septentrionem versus, atq; ad extremas oras *Sueciæ* Septentrionales; ubi figit *Rudbekius Columnas Herculis*, (non ad fretum *Gibraltar*;) indeq; per oras *Norwegiæ*, (jam dictæ) Insulasq; *Britannicas* circumvectum, perducit ad *Phæacum* Insulas (jam *Canarinas* aut *Afores* forte dictas;) indeq; per fretum *Gibraltar* & *Mediterraneum Mare*, ad suam tandem *Ithacam* restituit. Omniaq; hæc, ex Poetarum Mythologia desumptis characteribus, adorant haud invenuste; ut, si vera non sint, magnam saltem habeant veri similitudinem. Id autem ego inibi speciatim notavi quod habet ex Poetarum quodam veterrimo, (cujus ego nominis jam sum oblitus,) de quadam Insula (prope *Britanniam*) tum olim a Mari absorpta; unde Mare totum, circum circa, redditum est longo tempore lutosum, & cæno turbidum, ut per plures Annos navigari non potuerit; donec tandem, disperso sensim luto, ad statum eum redieris quem jam cernimus.

Qualis fuerit hæc insula, aut ubi particulatim sitas non memini quod *Rudbekius* diserte dicit; nequidem ex conjectura. Sed mihi subiit cogitare (cæteris stantibus,) hoc insinuari posse, Rupturam Isthmi, quo Britannia fuerat olim (ante omnem harum rerum certam Historiam) cum Gallia conjuncta. Quippe si talis fuerit olim Isthmus, marium impetu Britannici & Germanici coeuntium (Isthmumq; marino Æstu, utriq; verberantium,) ruptus, (quod non est inopinabile,) necesse est ut inde talia obvenerint Phænomena quæ narrantur. Non enim tota moles Isthmi foret uno impetu discussa; sed, postquam Marium alterum, Isthmi summum transcenderat, molemq; illam (eundo & redeunda) sensiam abluerat; lutosum interim turbidumq; factum est (propter Mariam jam conjuncta, quæ fuerant Isthmo pridem determinata; indeq; ortum insuetum Marium horum motum,) haud Navigabile; donec, turbidis hisce motibus tandem compositis, in pacatum statum rediret. Ego nihil hac in re statuo, sed rem totam pernitius considerandam permitto. Ad id quod Tu alicubi quæris, de Litoribus Gallico & Anglico; Hoc porro dicendum putem; Præruptos Clivos atq; præaltos (congeneris Materias, & simili situ, quasi ad perpendicularum) erectos ad *Dubrim* & *Caletum* Longum tractius contra positos (ubi est brevissimus Trajectus ab Anglia in Galliam) magnam præsi ferre speciem, quasi fuerint olim aliquando (ante hominum memoriam) Isthmo continuati, nec nisi rupto Isthmo (qui Angliam forte cum Gallia conjunxerat) separati; & quasi dilacerati, Multoq; quæ dudum me legisse memini, apud *Rudbekii* Atlanticam (sed quæ post tot Anno, non jam distincte reminiscor a veteri nescio quo Scriptore deprompta, mihi videntur hac spectare. Quæ ille aliam trahit; puta, ad Insulam (nescio quam) quam supponit ille a Mari absorptam; unde factum sit Mare (per multos Annos) cænosum, tervidum, & innavigabile, sed huic Isthma (siquis olim fuerit) hæc aptius convenirent. Tu interim vale; atq; favere dignare.

Tui observantissimo

*Johanni Wallis.*